

- nisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum ad-  
 tisque fatis vetitum, ne is cognatam in Italia sepeliret  
 Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolu-
- 2 mem reliquerat. Et postquam ad classem rediit rep-  
 peritque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae 5  
 nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius  
 3 et Acilius Piso. Inde profectum pervenisse in eum  
 locum, qui nunc portus Caietae appellatur ex nomine  
 4 nutricis eius, quam ibidem amissam sepeliit. At vero  
 Caesar et Sempronius aiunt Caietae cognomen fuisse, 10  
 non nomen, ex eo scilicet inditum, quod eius consilio  
 impulsuque matres Troianae taedio longi navigii clas-  
 sem ibidem incenderint, Graeca scilicet appellatione
- 5 ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est incendere. Inde ad eam  
 Italiae oram, quae ab arbusto eiusdem generis Lau- 15  
 rens appellata est, Latino regnante pervectum cum  
 patre Anchise filioque et ceteris suorum navibus egres-  
 sum in litore accubuisse, consumptoque, quod fuerat  
 cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas  
 secum habebat, comedissee. 20
- 11 Tum Anchisa coniiciente illum esse miseriarum er-  
 rorisque finem, quippe meminerat Venerem sibi ali-  
 quando praedixisse, cum in externo litore esurie com-  
 pulsi sacratasque mensas invasissent, illum condendae
- 2 sedis fatalem locum fore, scrofam etiam incientem 25  
 cum e navi produxissent, ut eam immolarent, et se  
 ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam,  
 quod aliquando ei responsum esset urbi condendae  
 3 quadrupedem futuram ducem, cum simulacris deorum

